

tus, gremiumq; terrarū commercio patēs undiq; : & tanquam ad iuuandos mortales, ipsa auide in maria procurrrens. Neq; ingenia ritusq; ac uiros, & lingua manuq; superatas commemoro gētes. Ipsi de ea iudicauere Græci, genus in gloriā suā effusissimum, quōtam partem ex ea appellando Græciam magnā. Nimirū id quod in mentione cæli fecimus, hac quoq; in parte faciendum est, ut quasdam notas & pauca sidera attingamus. Legentes tantum queso meminerint, ad singula toto orbe edifferenda festinari. Est ergo folio maxime querno assimilata, multo proceritate amplior quā latitudine, in laua se flectēs cacumine, & Amazonicæ figura desinens parmæ, ubi à medio excursu Cocinthus uocatur, per sinus lunatos duo cornua emittēs, Leucopetram dextera, Laciniū sinistra. Patet lōgitudine ab alpino fine pratorie Augustæ p Urbem Capuamq; cursu meante Rhegium oppidum in humero eius situm, à quo ueluti cervicis incipit flexus, decies centena & viginti M. passuū. multoq; amplior mensura fieret Lacinium usque, ni talis obliquitas ī latus digredi uideretur. Latitudo eius uaria est, cccc. milium inter duo maria, inferum & superum, amnesq; Varum atq; Arsiam: mediæ atq; serme circa urbem Romam ab ostio Aterni amnis in Adriaticum mare influentis, ad Tiberina ostia cxxxvi. & paulo minus à Castro nouo Adriatici maris. Alsum ad Tuscum æquor. haud ullo in loco cc. ad latitudinē excedens. Vniuersæ aut ambitus à Varo ad Arsiam xxx. M. pass. lviii. efficit. Abest à circumdatis terris, Istria ac Liburnia quibusdam locis c. M. pass. Ab Epiro & Illyrico l. Ab Africa minus cc. ut autor affirmat Varro. Ab Sardinia cxx. M. Ab Sicilia. M. d. A Corcyra minus lxx. Ab Issa l. Incedit per maria cæli regione ad meridiem quidem: sed si quis id diligenti subtilitate exigat, inter sextam horam primāq; brumalem. Nunc ambitum eius urbesq; enumerabimus. Qua in re præfari necessarium est, autorem nos diuum Augustum secuturos, descriptionemq; ab eo factā Italiæ totius in regiones xi. sed ordine eo qui littorum tractu fiet: urbium quidem uicinitates oratione utiq; præpropera seruari non posse: itaq; interiori in parte digestionē in literas eiusdem nos secuturos, coloniarum mentione signata, quas ille in eo prodidit numero. Nec situs originesq; psequi facile est, Ingauis Liguribus (ut ceteri omittatur) agro tricies dato. Igitur ab anne Varo Nicea oppidum à Massiliensibus conditū. Fluius Padus, alpes, populiq; in alpini multis nōibus, sed maxime capillati: oppidū Vediatio rum ciuitatis Cemelion. Portus Herculis Monæci, Ligustica ora. Ligurum celeberrimi ultra alpes Sallyi, Deceates, Oxybii: citra Veneni, & Caturigibus orti Vagiēni, Statyelli, Vibelli, Magelli, Euburiates, Casmonates, Veliatates, et quorū oppida in ora proxima dicemus. Flumē Rutuba, oppidum Albium Intemelium, flumen Merula, oppidum Albinganum, portus vadum Sabatium, flumen Porciferæ, oppidū Genua, fluius

Feritor, portus Delphini, Tigulia, intus Segesta Tiguliorum, flumen Macra Liguriæ finis. A tergo autem supradictorum oīum Apenninus mons Italiæ amplissimus, perpetuis iugis ab alpibus tendens ad Siculum fretum. Ab altero eius latere ad Padum amnē Italiæ ditissimum, omnia nobilibus oppidis nitent, Libarna, Dertona colonia, Trira, Barderate, Industria, Polentia, Carrea quod Potentia cognominatur, Forofului quod Valentinum, Augusta Vagiennorum, Alba Pompeia, Asta, aquis Statyellorū. Hæc regio ex descriptione Augusti nona est. Patet ora Liguriæ inter amnes Varum & Macrā cxxi. M. pass. Adnectitur septimæ in qua Hetruria est ab anne Macra, ipsa mutatis sæpe nominibus. Vmbros idē exegere antiquitus Pelasgi. Hos Lydi, à quorū rege Tyrreni, mox à sacrisco ritu lingua Græcorū Tusci sunt cognominati. Primum Hetruriæ oppidum Luna portu nobile. Colonia Luca à mari recedens, propiorq; Pisæ iter amnes Ausere et Arnum ortæ à Pelope Pisisq; siue Atintanis Græca gente. Vada Volaterrana, fluius Cecinna, Populonium Hetruscorū quondam hoc tātum in littore. Hinc amnes Prille, mox Vmbro nauigiorum capax, & ab eo tractus Vmbria portusq; Telamon, Cossa Volciētium à populo Romano deducta, Grauisca, Castrum nouū, Pyrgi, Carretanus amnis, et ipsum Cere intus M. pass. quatuor, Agylla à Pelasgis conditoribus dictum: Altiū, Fregena. Tiberis amnis à Macra cclxxxiii. M. pass. Intus colonia, Falisca Argis orta (ut autor est Cato) quæ cognomiat Hetruscorū, Lucus Feroniæ, Rusellana, Senensis, Sutrina. De cetero Aretini ueteres, Aretini fidentiores, Aretini Iulenses, Amitinenses, Aquenses cognomine Taurini, Blerani, Cortonenses, Capenates, Clusini noui, Clusini ueteres, Fluentini præfluenti Arno appositi, Fesula, Ferentinū, Fescennia, Hortanum, Herbanū, Nepes, Nouem pagi, præfectura Claudia, Foro Clodij, Pistorium, Perugia, Suanenses, Saturnini, qui ante Aurinini uocabantur, Sudertani, Statones, Tarquinenses, Tuscanenses, Vetulonenses, Veientani, Vesentini, Volaterrani cognomine Hetrusci, Volsinenses. In eadem parte oppidorum ueterum nomina retinent agri Crustuminus, Caletanus, Tiberis antea Tybris appellatus, & prius Albula, è media fere longitudine Apennini finibus Aretinorū profluit, tenuis primo, nec nisi piscinis corruatus, emissusq; nauigabilis, sicuti Tina & Glanis influentes in eum, nouenorum ita cōceptu dierū, si nō adiuuēt imbres: sed Tiberis propter aspera & cōfragosa, nec sic quidem præterq; tribus uerius quā ratibus longe meabilis fertur, per cl. M. passuū non procul Tiferno Perugia & Ocruculo, Hetruriā ab Vmbria ac Sabina, mox citra xiiij. M. pass. urbis Veientē agrum à Crustumino, dein Fidentate, Latinūq; à Vaticano dirimēs: sed infra Aretinum Glanem duobus & xl. fluius auctus, præcipuis autem Nare & Aniene, qui & ipse nauigabilis Latium includit à tergo, nec minus tamen aquis ac tot

*undecima

* circa

c ij fontibus